

lix et Sabinus Collegae nostri asseverant; utque alius Felix de Caesaraugusta fidei cultor atque defensor veritatis litteris suis significat, Basilides et Martialis nefando idololatriae libello contaminati sint, Basilides adhuc insuper praeter libelli maculam, cum infirmitate decumberet in Deum blasphemaverit, et se blasphemasse confessus sit, et Episcopatum pro conscientiae suae vulnere sponte deponens, ad agenda poenitentiam conversus sit, Deum deprecans et satis gratulans si sibi vel laico communicare contingeret: Martialis quoque praeter Gentilium turpia et luculenta convivia et collegia diu frequentata, et filios in eodem Collegio exterarum gentium more apud profana sepulcra depositos, et alienigenis consepultos, actis etiam publice habitis apud Procuratorem Ducenarium obtemperasse se idololatriae, et Christum negasse contestatus sit, cumque alia multa sint et gravia delicta, quibus Basilides et Martialis implicati tenentur, frustra tales Episcopatum sibi usurpare conantur; cum manifestum sit ejusmodi homines neque Ecclesiae Christi, neque Deo sacrificia offerre debere: maxime cum jam pridem nobiscum et cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius Collega noster, Sacerdos pacificus et justus, et Martyrio quoque dignatione Domini honoratus decreverit, hujusmodi homines ad poenitentiam quidem agenda posse admitti, ab ordinatione autem Cleri atque Sacerdotali honore prohiberi.

6. Nec vos moveat, fratres dilectissimi, si apud quosdam in novissimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor irreligi-
sus vacillat, ac pacifica concordia non perseverat. Praenuntiata sunt haec futura in saeculi fine, et Domini voce ac Apostolorum contestatione praedictum est, deficiente jam mundo, atque appropinquante Antichristo, bona quaeque deficere, mala vero et adversa proficere.

Permanet apud plurimos sincera mens, et religio integra, et non nisi Domino et Deo suo anima devota, et Christianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, sed magis excitat et exaltat ad gloriam, secundum quod beatus Apostolus Paulus hortatur et dicit: *Quid enim si exciderunt à fide quidam eorum? numquid infidelitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Si autem omnis homo mendax est, et solus Deus verax, quid aliud Servij, et maxime Sacerdotes Dei facere debemus, nisi ut humanos er-

rores et mendacia relinquamus; et praecepta dominica custodientes in Dei veritate maneamus?

7. Quare et si aliqui de Collegis nostris extiterunt, fratres dilectissimi, qui deificam disciplinam negligendam putant, et cum Basilide et Martiali temere communicant, conturbare fidem nostram res ista non debet, cum Spiritus S. in Psalmis realibus comminetur, dicens: *Tu autem odisti disciplinam, et abjecisti sermones meos retro. Si videbas furem, concurrebas ei, et cum adulteris portionem tuam ponebas.* Consortes et participes ostendit eos alienorum delictorum fieri, qui fuerint delinquentibus copulati: sed et hoc idem Paulus Apost. scribit, et dicit: *Susurratores, detractores abhorrentes Deo, injuriosi, superbi, jactantes sui, adinventores malorum, qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, morte sunt digni, non tantum qui faciunt ea, sed et qui consentiunt eis qui haec agunt, quoniam qui talia, inquit, agunt, morte sunt digni.* Manifestat et comprobat, morte dignos esse, et ad poenam venire, non tantum illos qui mala faciunt, sed etiam eos, qui talia agentibus consentiunt: qui dum malis et peccatoribus, et poenitentiam non agentibus illicita communicatione miscentur, nocentium contactibus polluuntur; et dum junguntur in culpa, sic nec in poena separantur. Propter quod integritatis et fidei vestrae religiosam sollicitudinem, fratres dilectissimi; et laudamus pariter et probamus, et quantum possumus adhortamur litteris nostris, ne vos cum profanis et maculatis Sacerdotibus communicatione sacrilega misceatis, sed integram et sinceram fidei vestrae firmitatem religioso timore servetis. Opto vos, fratres charissimi, semper bene valere.

APÉNDICE NÚM. 4.

Concilio de Elvira.

Cum convenissent Sancti et Religiosi Episcopi in Ecclesia Eliberitana, hoc est, Felix Episcopus Accitanus etc. Residentibus etiam XXXVI Presbyteris, adstantibus Diaconibus et omni plebe.

1.º De his, qui post baptismum idolis immolaverunt.

Placuit inter eos, qui post fidem baptismi salutaris, adulta aetate,

ad templum idololatraturus accesserit, et fecerit, quod est crimen principale (quia est summum scelus) placuit, nec in fine eum communionem accipere.

2.º De Sacerdotibus Gentilium qui, post baptismum, immolaverunt.

Flamines, qui post fidem lavacri et regenerationis, sacrificaverunt; eo quòd geminaverint scelera, accedente homicidio; vel triplicaverint facinus, cohaerente moechia, placuit, eos nec in fine accipere communionem.

3.º De eisdem si idolis munus tantum dederunt.

Item flamines, qui non immolaverint, sed munus tantum dederint; eo quòd se à funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit, in fine eis praestari communionem; actà tamen legitimà poenentiã. Item ipsi, si post poenitentiam fuerint moechati, placuit, ulterius his non esse dandam communionem; ne lusisse de Dominica communionem videantur.

4.º De eisdem, si catechumeni adhuc immolant, quando baptizentur.

Item flamines, si fuerint catechumeni, et se sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora, placuit ad baptismum admitti debere.

5.º Si domina per zelum ancillam occiderit.

Si qua domina furore zeli accensa flagris verberaverit ancillam suam, ita ut in tertium diem animam cum cruciatu effundat; eo quòd incertum sit, voluntate, an casu occiderit; si voluntate, post septem annos; si casu, post quinquennii tempora, actà legitimà poenentiã, ad communionem placuit admitti. Quod si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

6.º Si quicumque per maleficium hominem interfecerit.

Si quis verò maleficio interficiat alterum; eo quòd sine idololatria perficere scelus non potuit, nec in fine impertiendam esse illi communionem.

7.º De poenitentibus moechia, si rursus moechaverint.

Si quis fortè fidelis post lapsum moechiae, post tempora constituta, accepta poenitentia denuò fuerit fornicatus, placuit, nec in fine habere eum communionem.

8.º De foeminis quae relictis viris suis, aliis nubunt.

Item foeminae, quae, nullà praecedente causâ, reliquerint viros

suos, et se copulaverint alteris, nec in fine accipiant communionem.

9.º De foeminis, quae adulteros maritos relinquunt, et aliis nubunt.

Item foemina fidelis, quae adulterum maritum reliquerit fidelem, et, alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi quem reliquerit, prius de seculo exierit, nisi fortè necessitas infirmitatis dare compulerit.

10. De relicta catechumeni, si alterum duxerit.

Si ea quam catechumenus reliquit, duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti. Hoc et circa foeminas catechumenas erit observandum. Quòd si fuerit fidelis, quae ducitur, ab eo qui uxorem inculpatam reliquit, et scierit illum habere uxorem, quam sine causa reliquit, placuit, huic nec in fine dandam esse communionem.

11. De catechumena si graviter aegrotaverit.

Intra quinquennii autem tempora catechumena si graviter fuerit infirmata, dandum ei baptismum placuit, non denegari.

12. De mulieribus, quae lenocinium fecerint.

Mater, vel parens, vel quaelibet fidelis, si lenocinium exercuerit; eo quòd alienum vendiderit corpus, vel potius suum, placuit eas nec in fine accipere communionem.

13. De virginibus Deo sacratis, et si adulteraverint.

Virgines, quae se Deo dicaverint, si pactum perdidierint virginitatis, atque eidem libidini servierint; non intelligentes quod amiserint, placuit, nec in fine eis dandam esse communionem. Quòd si semel persuasae aut infirmi corporis lapsu vitiatae, omni tempore vitae suae huiusmodi foeminae egerint poenitentiam; ut abstineant se à coitu; eo quòd lapsae potius videantur, placuit, eas in fine communionem accipere debere.

14. De Virginibus secularibus, si moechaverint.

Virgines, quae virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverint, duxerint, et tenuerint maritos; eo quòd solas nuptias violaverint, post annum, sine poenitentia, reconciliari debent. Vel si alios cognoverint viros; eo quòd moechatae sint, placuit, per quinquennii tempora, actà legitimà poenentiã, admitti eas ad communionem oportere.

15. De conjugio eorum, qui ex Gentilitate veniunt.

Propter copiam puellarum, Gentilibus minimè in matrimonium

dandae sunt virgines christianae: ne aetas in flore tumens, in adulterio animae resolvatur.

16. De puellis fidelibus, ne infidelibus jungantur.

Haeretici, si se transferre noluerint ad ecclesiam catholicam, nec ipsis catholicas dandas esse puellas: sed neque Judaeis, nequae haereticis dare placuit; eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet.

17. De his qui filias suas sacerdotibus Gentilium conjungunt.

Si qui fortè sacerdotibus idolorum filias suas injunxerint, placuit, nec in fine eis dandam esse communionem.

18. De clericis negotia, et nundinas sectantibus.

Episcopi, Presbyteri, et Diaconi de locis suis, negotiandi causa, non discedant; nec circumeunt provinces, quaestuosas nundinas sectentur. Sanè ad victum sibi conquirendum, aut filium, aut liberum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant: et si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

19. De sacerdotibus, et ministris, si moechaverint.

Episcopi, Presbyteri, et Diaconi si in ministerio positi detecti fuerint quod sint moechati, placuit, et propter scandalum, et propter profanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.

20. De clericis, et laicis usurariis.

Si quis clericorum detectus fuerit, usuras accipere, placuit eum degradari, et abstineri. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras, et promiserit, correctus jam, se cessaturum, nec ulterius exacturum, placuit, ei veniam tribui. Si verò in ea iniquitate duraverit, ab ecclesia esse projiciendum.

21. De his qui tardiùs ad ecclesiam accedunt.

Si quis in civitate positus, tres Dominicas ad ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur.

22. De catholicis in haeresim transeuntibus, si revertantur.

Si quis de catholica Ecclesia ad haeresim transitum fecerit, rursusque recurrerit, placuit, huic poenitentiam non esse denegandam; eo quod cognoverit peccatum suum. Qui etiam decem annis agat poenitentiam. Cui post decem annos praestari communio debet. Si verò infantes fuerint transducti, quod non suo vitio peccaverint, incunctanter recipi debent.

23. De temporibus jejuniorum.

Jejuniorum superpositiones per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii et Augusti, ob quorundam infirmitatem.

24. De his, qui peregrè baptizantur, ut ad clerum non veniant.

Omnes, qui peregrè fuerint baptizati, eo quod eorum minimè sit cognita vita, placuit, ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis.

25. De Epistolis communicatoris confessorum.

Omnis, qui attulerit litteras confessionis, sublato nomine confessoris (eo quod omnes sub hac nominis gloria passim concutiant simplices) communicatoriae ei dandae sunt litterae.

26. Ut omni sabbato jejunetur.

Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die superpositiones celebremus.

27. De clericis, ut extraneas foeminas in domo non habeant.

Episcopus, vel quilibet alius clericus, aut sororem, aut filiam virginem dicatam Deo, tantum secum habeat; extraneam nequaquam habere placuit.

28. De oblationibus eorum, qui non communicant.

Episcopos, placuit, ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.

29. De energumenis, qualiter habeantur in Ecclesia.

Energumenus, qui ab erratico spiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare, cum oblatione, recitandum, neque permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministret.

30. De his, qui post lavacrum moechaverint, ne subdiaconi fiant.

Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint moechati; eo quod postmodum, per subreptionem, ad altiorem gradum promoveantur: vel si qui sunt in praeteritum ordinati amoveantur.

31. De adolescentibus, qui post lavacrum moechati sunt.

Adolescentes, qui post fidem lavacri salutaris fuerint moechati, cum duxerint uxores, actà legitimà poenitentia, placuit ad communionem admitti.

32. De excommunicatis presbyteris, ut in necessitate communionem dent.

Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere poenitentiam non debere, sed potius apud Episcopum; cogente tamen infirmitate, necesse est presbyterum communionem praestare debere, et diaconum, si ei jusserit sacerdos.

33. De Episcopis, et ministris, ut ab uxoribus se abstineant.

Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, et Diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se à conjugibus suis, et non generare filios: quicumque verò fecerit, ab honore clericatus exterminetur.

34. Ne cereum in coemeteriis incendatur.

Cereos per diem placuit in coemeterio non incendi: inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt. Qui haec non observaverint, arceantur ab ecclesiae communione.

35. Ne foeminae in coemeteriis pervigilent.

Placuit prohiberi, ne foeminae in coemeterio pervigilent; eo quòd saepe sub obtentu orationis latentèr scelera committant.

36. Ne picturae in ecclesia fiant.

Placuit, picturas in ecclesia esse non debere; ne quod colitur et adoratur, in parietibus depingatur.

37. De energumenis non baptizatis.

Eos, qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet; si fideles fuerint, dandam esse communionem; prohibendum etiam, ne lucernas hi publicè accendant. Si facere contra interdictum voluerint, abstineant à communione.

38. Ut in necessitate et fideles baptizent.

Peregrè navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum: ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducatur, ut per manùs impositionem proficere possit.

39. De Gentilibus, si in discrimine baptizari expetunt.

Gentiles, si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum, ex aliqua parte, vita honesta, placuit, eis manum imponi, et fieri Christianos.

40. Ne id quod idolothyum est fideles accipiant.

Prohiberi placuit, ut cum rationes suas accipiunt possessores, quidquid ad idolum datum fuerit, acceptum non referant: si post inter-

dictum fecerint, per quinquennii spatia temporum à communione esse arcendos.

41. Ut prohibeant domini idola colere servis.

Admoneri placuit fideles, ut in quantum possint, prohibeant, ne idola in domibus suis habeant: si verò vim metuunt servorum, vel seipsos puros conservent; si non fecerint, alieni ab ecclesia habeantur.

42. De his, qui ad fidem veniunt, quando baptizentur.

Eos, qui ad fidem prima credulitatis accedunt, si bonae fuerint conversationis, intra biennium placuit ad baptismi gratiam admitti debere; nisi infirmitate compellente, coegerit ratio, vel ocysus subvenire periclitanti, vel gratiam postulanti.

43. De celebratione Pentecostes.

Pravam institutionem emmendari placuit, juxta auctoritatem scripturarum; ut cuncti diem Pentecostes post Pascha celebremus, non quadragesimà, nisi quinquagesimà die. Qui non fecerit novam haeresim induxisse notetur.

44. De meretricibus paganis, si convertantur.

Meretrix quae aliquando fuerit et postea habuerit maritum; si postmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit esse recipendam.

45. De catechumenis, si ad ecclesiam non frequentant.

Qui aliquando fuerit catechumenus, et per infinita tempora nusquam ad ecclesiam accesserit, si eum de clero quisque cognoverit esse christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit, ei baptismum non negare; eo quòd in vetere homine deliquisse videatur.

46. De fidelibus, si apostataverint quamdiu poeniteant.

Si quis fidelis apostata, per infinita tempora, ad ecclesiam non accesserit; si tamen aliquando fuerit reversus, nec fuerit idololatra, post decem annos, placuit communionem accipere.

47. De eo qui uxorem habens, saepius moechatur.

Si quis fidelis habens uxorem, non semel sed saepè fuerit moechatus, in fine mortis est conveniendus. Quòd si se promiserit cessaturum, detur ei communio. Si resuscitatus, rursus fuerit moechatus, placuit ulterius non ludere eum de communione pacis.

48. De baptizatis ut nihil accipiat clericus.

Emmendari placuit, ut hi qui baptizantur (ut fieri solebat) nummos in concham non immittant; ne sacerdos quod gratis accepit, pre-

lio distrahere videatur. Neque pedes eorum lavandi sunt à sacerdotibus, sed clericis.

49. De frugibus fidelium, ne à judaeis benedicantur.

Admoneri placuit possessores, ut non patiantur fructus suos, quos à Deo percipiunt, à judaeis benedici; ne nostram irritam, et infirmam faciant benedictionem. Si quis post interdictum facere usurpaverit, penitus ab ecclesia abjiciatur.

50. De Christianis, qui cum judaeis vescuntur.

Si vero quis clericus, vel fidelis cum judaeis cibum sumpserit, placuit, eum à communione abstinere; ut debeat emmendari.

51. De haereticis ut ad clerum non promoveantur.

Ex omni haeresi fidelis si venerit, minimè est ad clerum promovendus: vel si qui sunt in praeteritum ordinati sine dubio deponantur.

52. De his qui in ecclesia libellos famosos ponunt.

Hi qui inventi fuerint libellos famosos in ecclesia ponere, anathematizentur.

53. De Episcopis, qui excommunicato alieno communicant.

Placuit cunctis, ut ab eo Episcopo quis accipiat communionem, à quo abstentus in crimine aliquo fuerit.

Quòd si alius Episcopus praesumpserit eum admitti, illo adhuc minimè faciente, vel consentiente, à quo fuerat communione privatus, sciat, se hujusmodi causas inter fratres cum status sui periculo praestaturum.

54. De parentibus, qui fidem sponsaliorum frangunt.

Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineantur. Si tamen iidem sponsus, vel sponsa in gravi crimine fuerint deprehensi, excusati erunt parentes: si in eisdem fuerit vitium, et polluerint se, superioris sententia servetur.

55. De sacerdotibus Gentium, qui jam non sacrificant.

Sacerdotes, qui tantum coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid ad idola praestant, placuit post biennium accipere communionem.

56. De magistratibus, et duumviratis.

Magistratum verò uno anno, quo agit duumviratum, prohibendum placuit, ut se ab ecclesia cohibeat.

57. De his, qui vestimenta ad ornandam pompam seculi dederint.

Matronae, vel earum mariti, ut vestimenta sua ad ornandam seculariter pompam non dent; et si fecerint, triennio abstineantur.

58. De his qui communicatorias litteras portant, ut de fide interrogentur.

Placuit, ubique, et maxime in eo loco, in quo prima cathedra constituta est Episcopatus, ut interrogentur hi, qui communicatorias litteras tradunt, an omnia rectè habeant; suo testimonio comprobati.

59. De fidelibus, ne ad Capitolium causà sacrificandi ascendant.

Prohibendum, ne quis Christianus ut Gentilis, ad idolum Capitolii, causà sacrificandi ascendat, et videat. Quòd si fecerit, pari crimine teneatur. Si fuerit fidelis, post decem annos, acta poenitentia recipiatur.

60. De his, qui destruentes idola, occiduntur.

Si quis idola fregerit, et ibidem fuerit occisus; quatenus in Evangelio scriptum non est, neque invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum.

61. De his, qui duabus sororibus copulantur.

Si quis post obitum uxoris suae, sororem ejus duxerit, et ipsa fuerit fidelis, quinquennium à communione placuit abstinere; nisi forte dari pacem velocius, necessitas coegerit infirmitatis.

62. De Aurigis, et Pantomimis, si convertantur.

Si Auriga, et Pantomimus credere voluerint, placuit, ut prius actibus suis renuntient, et tunc demum suscipiantur; ita ut ulterius ad ea non revertantur. Qui si facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab ecclesia.

63. De uxoribus, quae filios ex adulterio necant.

Si qua per adulterium, absente marito, conceperit, idque post facinus, occiderit, placuit, neque in fine dandam ei esse communionem; eo quòd geminaverit scelus.

64. De foeminis, quae, usque ad mortem, cum alienis viris adulterant.

Si qua usque in finem mortis suae, cum alieno viro fuerit moechata, placuit, nec in fine dandam ei esse communionem. Si verò eum reliquerit, post decem annos accipiat communionem, actà legitimà poenitentia.

65. De adulteris uxoribus clericorum.